



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Ethicè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## SYMBOLVM LXXVIII.

Sinon &amp; Helena, urbis Trojanæ proditores.

2. & 6. *Aeneid.*

## Ethicè.

1. Nimia credendi facilitas. 2. Prætextus religionis falsus. 3. Temeraria securitas.

**C**um decimum jam annum obsiderent Ilium Græcorum Duces, viresque suas impensè labefactatas cernerent, desperatione capti, quod aperto Marte conficere diffidebant, ad dolos sibi confugiendum censuerunt. Equum igitur ligneum vastissimæ molis architectantur: ejus cava selectissimis è toto exercitu militibus, ac nonnullis etiam de numero Ducum infarciunt: rumorem disseminant, Palladi Numini Tutelari ad prosperandum in Græciam reditum (discessum enim simulabant) machinam istam esse compactam. Credita res à Trojanis: nam calamitosis facillè imponit spes meliorum, & à suspitione periculi abducit religionis persuasio. Latebant interea Græci in insula Tenedo, non longo intervallo à Troia distante. Subinde pastores Ilienses hominem ignotum, revinctis ponè manibus, ad Priamum regem pertrahunt, *Sinon* vocabatur, *Sisyphi* filius, nepos *Autolyçi*, furis nominatissimi, Mercurio geniti, de quo Ovidius. II. *Metam.*

Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne:

Qui facere assuèrat, patriæ non degener artis,

Candida de nigris, &amp; de candentibus atra.

Avo & atavo per omnia similis Sinon, maximè omnium idoneus visus est Achivis, cui negotium adornandæ fraudis imponeretur. Noverat Sycophanta ad fallendum exercitatissimus, verbis mira simulatione compositis artes omnes commiserationis movendæ: narrat Ulysses, scilicet insensissimum sibi, nihil aliud agere, quàm ut inveteratum in se odium crudelitate necis exoneret. Jamque se per speciem sacrificii fuisse ad aras trahendum victimam, nisi ruptis vinculis clam profugisset, utroque se in hostium manus dedisset, à quibus majorem humanitatem, quàm à suismet civibus speraret; sin' pereundum esset, solatio sibi futurum, ho-

fili

fili potius, quam Ulyssis aut Menelai manu cadere. Quibus auditis, Priamus Rex Trojanorum, ad misericordiam flexus, jubet captivo admi vincula, promittit vitam, civitatem, gratiam; scitatur causam erectæ molis lignæ. Pergit recensere perfidiosus homo, concitatas Palladis iras per *Diomedem* & *Ulyssem*, qui per summum sacrilegium ipsius signum de nocte ex arce Trojana abstulerint, atque in castra Græcorum asportarint: exinde deam indignationis suæ manifestissima prodidisse indicia, esseque responsum ab augure *Calchante* editum, primo quoque tempore renavigandum domum, auspicia repetenda, Numen, cujus effigiem surripuerant, placandum: Inde placuisse consilium, ingentis equi simulacrum efficiendi, proque piaculo ante mœnia Troiæ relinquendi. Causam inusitatae magnitudinis esse, ne per portas quiret in urbem introduci, atque ita populum Trojanum, ut Minervæ clientem, incolumen tueri. Si verò hoc *sacrum* Trojani violassent, id præsentis exitio futurum; sin' integer induceretur in civitatem, bellum inde in Græciam translatum iri. Fidem fecit sublesta nebulonis lingua. Cives uno ore equum in urbem recipiendum, Palladem propitiandam clamitant. Quid multa? pernicialis machina subjectis rotis, injectisque collo funibus, publico omnium plausu in urbem per dirutam muri partem invehitur, frustra obnitente *Laocoonte* sacerdote, & doctos subesse clamante. Recepta insidiosa mole intra mœnia, omnia lætitiâ personabant. Ridebantur per compira & circulos Græci, & convitiis lacerabantur, qui re infecta post tot annos domum abire cum dedecore coacti fuissent. Indictæ feriæ, templa inumbrata fertis ac floribus, viæ constratæ gramine, instituta convivia & symposia. Cantabatur, saltabatur, edebatur, ludebatur, vomebatur, donec & plurima nox, & multa bacchationum lascitudo somnum suavit, an imperavit. Jacent securi malorum omnium, vino somnoque demersi altissimo. Cùm interea Græci temporis opportunitatem nacti, mediæ seu concubiæ noctis silentium, à Tenedo solventes, Lunâ sublustri, Trojam versùs reducunt classem, sublatis è prætorii navi facibus: ad quod indicium, *Simon* clandestinò claustra equi referat: inclusi per funem descendunt, & confestim in vigiles irruunt, portas recludunt, sociorum complura millia intromittunt, instructisque agminibus, cives ad resistendum longè imparatissimos adoriuntur, & contrucidant. Volant ubique ad tecta faces, crebescunt incendia, confusi oppidanorum clamores, domorum procumbentium fragores exaudiuntur. Ferro & ignibus miscentur cuncta; nec sexui, nec ætati, nec

nec

nec templis ipsis parcitur. In tam miserabili strage partes suas luculenter egit Helena, à qua proditus Deiphobus maritus, naso, auribus, manibus foedè detruncatis, dirissimè interfectus est ab Ulysse & Menelao. Ipsa nocentior etiam quàm Sinon, eà nocte, qua equus erat inductus in urbem, religionem simulat, Orgia Bacchi celebrat, Trojānarum mulierum chorum circa machinam ducit: inter saltationes & cantus vibrantur in orbem lampades ardentes, mutuòque per manus traduntur: quò luminum indicio Græci ex arce, quam jam tenuerant, evocati, subito irrupere, omniàque confusa cæde implere. Adeò parùm erat teterrimæ mœchæ, suis ignibus ingentem belli flammam excitasse, nisi summa cum perfidia, ac nefario religionis prætextu, pereunti Troia, præfica facem præferret, tristissimùmque rogam accenderet. De ea loquentem apud inferos Deiphobum Maro inducit 6. Æneid.

Cùm fatalis equus saltu super ardua venit  
Pergama, & armatum peditem gravis attulit alvo:  
Illa chorum simulans, evantes orgia circum  
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat  
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.

### Ethica.

I. (a) Suis in versibus repetit sæpiùs Homerus ἢ δόλω, ἢε βίβη seu *dolo*, seu *vi*. Quibus verbis strategemata seu vaframenta militaria commendat. Quippe non rarò caudà vulpinà est impetrandum, quod vis leonís præstare nequivit. Nec fortitudini tantùm virtutisque bellicæ ac virium robori, sed solerti etiam Ducum fallaciæ atque machinis locus relinquitur, quibus aut gravissima vitetur offensus: aut sine damno paretur victoria. Veteri dicto non *Iura* tantùm, sed etiam *bella & vi-Ethica* sunt vigilantibus. Prudentissimè ab Iphicrate, præclaro Atheniensium duce, pronuntiatum: gravissimam esse notam imperitiæ ac tarditatis militaris, dicere: *non putavi*. Et Val. Max. *Turpe est in re militari dicere: non putabam*. Cadit hoc in Trojanos, de quibus proverbium: *Serò sapiunt Phryges*, postquam scilicet in urbem inductus est equus ille fatalis. Si mica in illis providentiæ, *Laocoonem*, & *Cassandram* vatem audissent monentem: *Equo ne credite Teucris*: in lignea alvo clandestinæ latent insidiæ. Et verò subeuntem cum exitiali machina cladem potuissent, si mens non læva fuisset, in ipso portarum limine advertere & excludere. Poëta canit.

(a) *Incauta credulitas.*

----- quater ipso in limine portæ.

Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.

Nam quid illa restitatio, nisi omen venturi mali? quid armorum frepitus, nisi præfagium calamitatis? Qui ab Ulyssæ toties delusi, quid nisi fraudes debuissent suspicari? Et fictas Sinonis lacrimas quis non deprehendisset, si cogitasset hominem & Græcum, & Græcâ fide præditum ultro capiendum se obtulisse, insidiosis & ex arte compositis verbis misericordiam captasse? Et cum ex uno sæpe discantur omnes, quid ni ex omnibus discerent unum, perfidum, perjurium, fraudulentum, fallacem, aliud simulantem, aliud agentem: nebulonem ad utrumque paratum, sive fallendum, sive moriendum? Nihil est enim formidolosius hoc hominum genere, si aperta virtute agendum sit; nihil contra audacius, cum sperant per fraudes sibi aliquid ex sententia futurum. Sed prævaluit prudentiæ stulta credulitas. Nam quod avidè speratur, citò creditur, & longis suspiriis expiatur. Si latebras equi scrutati fuissent:

Trojâque nunc stares, Priamique arx alta maneres.

Maxima culpa penes vulgus fuit, quod rarò sentit cum sapientibus, in quo, juxta Ciceronem pro Plancio, non est consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia. Bellua multorum capitum, sed nullius cerebri

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Hoc consultore, quid nisi stolidi, temeraria, damnosa consilia proveniant? si sapuissent, timere debuissent *Danaos & dona ferentes*. Hinc in adagio, *Danaum munerâ*, accipienti perniciofa.

II. (b) Sinon ut nequius deciperet, scelere religionem prætexuit; mentitus est, Equum illum divinâ Palladis arte ædificatum, Palladi consecratum, votò à Græcis nuncupatò. Quid fraudulentius? Fecit idem Helena, dum in honorem Bacchi simulatas, revera in exitium Trojæ ferales choreas duxit. Successum uterque dolus sacrilegus, apud animos superstitione imbutos habuit. Hinc omnes.

Ducendum ad sedes simulacrum, orandâque Divæ  
Numina conclamavit.

Verissimè Curt. lib. 4. Nulla res efficacius multitudinem regit, quàm superstitio: alioquin impotens, sava, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus, quàm ducibus suis parat. Et Liv. lib. 39. Nihil in speciem fallacius, quàm prava religio, ubi Deorum Numen præ-

N n n

renditur

(b) *Prætextus religionis.*

tenditur sceleribus. Et Mariana lib. 9. hist. Hispan. c. 18. Nihil tenacius inhæret, quàm quod religionis specie defenditur. Et Lucret. lib. 1.

Tantum religio potuit suadere malorum.

Dissidebant prius Trojani; sed ubi fraudibus Sinonis religio Minervæ, & superstitio vana accessit, omnes conclamant, equum ad arcem ducendum. Nec mora; dividuntur muri panduntur mœnia,

Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum  
Subjiciunt lapsus, & stupea vincula collo  
Intendunt. Scandit fatalis machina muros  
Fœta armis: circum pueri, innuptæque puella  
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent;  
Illa subit, mediæque minans illabatur urbi.

Tantum potuit superstitio dolosa, & inde temerè concepta letitia. Eam fraudem etiam *Artemisia*, Cariae regina, intendit, cum Latmum urbem occupatura, armatas copias occultavit. Ipsa namque cum eunuchis, mulieribus, tibicinibus, ac tympanistis in lucum matris deorum, qui septem stadiis ab urbe distabat, sacra peractum accessit. Latmiis id advertentibus, & pietatem ejus contemplantibus, admirantibusque, ii, qui latebant, consurgentes, urbem invaserunt, armis haud obtinendam Polyæn. lib. 7. Nörunt hanc fallaciam etiam nostræ ætatis Sinones pseudopolitici, quibus nihil est consuetius, quàm sub religionis specie, religionem evertere, templa profanare, naso ductare Principes, pessundare regna, fas omne & nefas confundere. Lipsii pronunciatum est: Ambitio & Avaritia sapè velatur religionis mantelo; addo ego, Perfidia & Proditio.

III. (c) Excidii Trojani præterea causa fuit, temeraria securitas, & hinc in comestiones, & ludos prolapsi. Nocet contemptus hostis; & nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet; frequentissimum initium calamitatis securitas. Pulchrum in Annibale elogium: Omnia ei hostium haud secus, quàm sua, nota erant. Secus omnia apud Trojanos. Hinc Græci.

Invadunt urbem vino, somnôque sepultam.

Fessis nimirum vino, multoque somno oppressis Phrygibus, repente supervenere Græci, & impunè stragem dedere. Primi omnium caduntur vigiles, tanquam pecudes, non resistentes; quod ipsi quoque in communi letitia suas partes egissent, seque vino approbè irrigassent, &

som-

(c) *Temeraria securitas.*

somno pleni, quid agerent aut ubi essent, nescirent. Sic Babylon à Cyro occupata est, urbs potentissima atque amplissima, ita ut cum capti essent, qui extremas urbis partes incolebant, ii, qui mediam urbem inhabitabant, id ignorarent: nam, (quod fortè dies festus eis esset) exercendis choreis, atque oblectationibus operam dabant; donec malo suo didicerunt, quid sit, latitiam sociare luctui. Herodot. lib. 1. Aliter Epaminondas, qui, cum Thebana civitas diem festum ageret, civésque crapulae indulgerent, noctu obibat muros cogitabundus, ac sobrius. Percunctatus est cum quidam è familiaribus, quid esset, cur solus ipse communis gaudii expers, & ita tristis obambulet. Ut vobis, inquit, tantò securius ebriis ac stertentibus esse liceat. Plut. in apophtheg. Princip. Servata fuisset Troja, si *Sobrietas & Vigilantia* portas servassent. Multarum urbium ac magnorum exercituum fatum est, *Luxus*, ejúsque comites *Negligentia & Socordia*. Sic Athenienses Oxobius Romanorum Dux, illum noctem observans, dormientes ebriósque aggressus est, & perculit. Athenæus lib. 5. Sic Germani apud Tacitum lib. 4. in bello Vitelliano largis epulis vinóque sopiti, & clausis foribus igne injecto cremati sunt. Sic Gracchus Campanos media nocte imparatos opprefsit. Liv. lib. 23. Sic Maharbal Dux Carthaginensis contra Afros rebellantes missus, cum sciret gentem esse vini avidam, nocte sarcinulis intra castra, cum vino ex mandragora medicato, relictis, fugam mentitus est. Barbari castris occupatis in gaudium simul & merum effusi, instar mortuorum sopitis sensibus strati partim capti, partim jugulati sunt. Sic Cyrus rex Persarum Scythis improvisus supervenit, ipsósque potantes epulantesque cum reginae Tomyridis filio adolescente, rerum

militarium malè gnaro interfecit. Herod. lib. 1. Et quid aliud

Hannibalem, Martem illum Punicum fregit & stravit, quàm

Campana luxuria, quæ invictum armis, illecebris

suis complexa, vincendum Romano

militi dedit? Valer.

lib. 9. c. 1.



N n n 2

SYM.